



BERENGARIVS hoc nomine primus, Foroiulij Princeps, ex genere Longobardorum, Arnulpho successor in imperio ab Italis creatur, eodem anno quo Ludouicus, de quo proxime, à Gallis & Germanis. Itali siquidem assiduis barbarorū incursionibus vexati, ius antiquum, & veterē imperij gloriā amittere nolentes, hunc sibi præfecerunt: fuit ingenio & re bellica potens. Guidonem Spoletinum Ducē interfecit. imperat annos ferè quinque. Videto Chro. Impe. Scribit Ioannes Carion li. 3. hūc Berengarium collectis ingentibus copiis aduersus Hungaros quanquā infeliciter pugnasset, attamen ex ea expeditione tantam nominis existimationem consecutum esse, vt postea Cæsare se voluerit nominari. Chronica Phry. referunt hunc Berengariū ad Arnolphi Imperatoris Romani tempora. Ceterū imperij Romani maiestas in Arnulpho defecit, quæ tanta indole à Carolo magno quæsitā fuerat, & ad Germanos translata est. terra certè Itala sub Gallorum principatu adeò floruit, vt vetera Romanorum principum tempora minimè desiderares, sed & anni sexaginta vsque ad Othonem primum Saxonum Regem, quibus nullum non calamitatis genus sensit Rom. imperium, ac terra Itala, effecere vt Gallicum nomen desiderabilius foret. Vide Egn. li. 3.

BERENGARIVS secundus priori succedit anno mundi 4868. à Christo nato 906. Hic post tertium aut quartū annum à Rudolpho Burgundo Rege pellitur. Vide vt supra.